

**3. † R. P. Augustinus England Maccabe (1881-1946)**

**3. † R. P. Augustinus England Maccabe (1881-1946)**

Nuntium mortis Patris Maccabe cum tristitia recepimus; nam erat confrater bene amatus. Ex parentibus piis et honestis in Rock Perry comitatus Cheshire, d. 30 Nov. 1881 natus est. Pater eius erat mercator et ob commercii sui negotia fere totum orbem terrarum viderat. «England» est nomen matris, quae olim ab haeresi ad veram fidem conversa erat.

Puer Augustinus, praeditus bona indole, ad studia peragenda per quadriennium in eodem collegio Dumfries fuit, ac P. Donnelly, per aliud quadriennium in collegio Societatis Iesu in Evreux Normanniae, ad linguam gallicam perfecte addiscendam, tandem per annum in nostro iuvenatu Bishop Eton, postquam cognovit suam ad nostrum Institutum vocationem. Vota professus est in Perth 15 Aug. 1902, annum iam agens

vicesimum primum. Studia altiora perfecit partim in Mautern Autriae, partim in Bishop Eton, partim in Perth, et post ordinationem diei 21 Maii 1907 iterum per annum in Bishop Eton.

Cui iam sexennio horum studiorum a domo in domum migrandum fuit, ei idem contigit sexennio insequenti, et ubique iuvenis P. Maccabe laborabat *sicut bonus miles Christi Iesu* (cf. 2 Tim. 2,3), praedicando, infirmos visitando, confessiones audiendo et ita porro. Tum per quinquennium fuit cappellanus militum tempore prioris magni belli, sequentes honores militares recipiens: 1<sup>o</sup> 1914 Star, 2<sup>o</sup> Victory Medal, 3<sup>o</sup> Allies Medal, 4<sup>o</sup> Order of Christ, 5<sup>o</sup> Mention 1919 in dispatches. A. 1916 prope Etables in Gallia septentrionali sacellum ex ligno conficiendum curavit, in quo 300 milites Missam audire et sacramenta recipere poterant, et ubi etiam 53 acatholicos, prius debite instructos, in verae Ecclesiae sinum recepit.

Bello finito P. Provincialis Charlton eum, domui Monkwearmouth adscriptum, iussit peculiariter attendere ad iuvenes, praesertim illos, qui, studiis absolutis, erant in periculo amittendi fidem aut bonos mores. Huic operi P. Maccabe toto corde se dedit, eos congregans in manipulum quasi militarem vulgo « Cadets », et cum esset in arte musica versatus, illos usum variorum instrumentorum musicorum edocuit, ita ut omni Dominica ad ecclesiam cum musica progrederentur Missam audituri et sacram communionem recepturi.

Huic confratri Deus complures dotes mentis et corporis largitus erat, quibus Superioribus multifariam utebantur, et eo libentius, quod P. Maccabe erat observantiae regulari addictissimus et orationis spiritu repletus. Quo tempore fuit Rector domus Erdington, scil. 1933-1939, scanna longa, ex ligno solidissimo a Fratre laico confecta, in ecclesia loco parvorum sedilium posuit et sacristiam novam, spatiosam et magnificentem construxit, quae hodie exstat monumentum perenne.

Translatus a. 1939 qua Rector Londinum, in novo bello magno monitus est ab auctoritate militari regionem Clapham esse valde periculosam propter nova instrumenta bellica usque ad illud tempus inaudita. Ita P. Maccabe constrictum se vidit cum aliquot Patribus Clapham relinquere et in domo Hawkstone per complures menses residere, perfungens munere suo Rectoris meliore, quo poterat, modo. Triennio expleto missus est in Bishop Eton ut Consultor et Minister domus. Tunc in eo infirmitas corporis se manifestare coepit, sed cum patientia et perseverantia mirabili officia sua peragere conabatur usque ad finem triennii.

Autumno a. 1946, mutationis aëris causa, in domum Hawkstone pervenit, ubi paulo post adeo ex infirmitate pectoris et cordis laborare coepit, ut ultimis sacramentis muniretur. In nosocomium Shrewsbury eum transferre necesse fuit, ubi post tres menses iterum sacramenta ultima pie recepit et d. 17 Decembris placide exspiravit. Corpus eius sepultum est in coemeterio nostro Bishop Eton. R. I. P.